Programm

womit zu

den öffentlichen Prüfungen und dem Rede-Actus

des

Gymnasiums zu Hirschberg

ehrerbietigst einladet

der Director

Professor Dr. Otto Heine.

Ostern 1869.

Inhalt:

Stobaei eclogarum loci nonnulli ad Stoicam philosophiam pertinentes emendantur.
Schulnachrichten. Beides vom Director.

Hirschberg.
Druck von Wilhelm Pfund.
1869.

881
S6eYh
Classics
Hein
LIBRARY
UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN

881 Classics
S6e.Yh

F II 8

Stobaei eclogarum loci nonnulli ad Stoicam philosophiam pertinentes emendantur.

Meineke quam bene de emendandis Stobaei eclogis meritus sit, nemo sane dubitabit, qui eius editionem cum Heerenii et Gaisfordi in contentionem vocaverit. nam ut ingenio illo et sagacitate eximia, quam omnes in sene venerabili admiramur, multis locis salutem restituit, ita iure ac merito effecisse se praedicat, ut in plurimis locis oratio a foedissimis vitiis purgata, in aliis certe via ad veritatem reperiendam aperta sit. sed in summa librorum scriptorum pravitate cum vel maxime opus sit respicere ea, quae ab aliis scriptoribus de iisdem philosophorum praeceptis tradita sunt, hanc curam Meineke etsi non plane omisit, etiam aliis relinquere maluit. itaque collatis, quae apud Graecos atque Romanos scriptores de Stoicorum praeceptis invenire potui, cum haec scribendi facultas oblata sit, ex iis, quae de ethica Stoicorum philosophia in Stobaei eclogis legimus, nonnullos locos emendandi periculum feci. quae opera spero fore ut viris rerum peritis non prorsus inutilis videatur.

Atque nonnulla, quae ad Stobaeum emendandum pertinent, desumi possunt ex libello, qui inscribitur Andronici Rhodii peripatetici philosophi περὶ παθῶν, atque subnexus est paraphrasi ethicorum Aristotelis, quae eiusdem peripatetici nomine fertur. quamquam vix dubium est, quin qui paraphrasim illam admodum doctam scripsit, sive is Heliodorus Prusensis fuit, quod Coraes in ethicae Aristoteliae prolegomenis suspicatus est, sive alius nescio quis, non idem hunc de affectibus tractatum composuerit. neglegentissime enim ex tribus diversis libris conglutinatus est, ipsumque auctorem adeo operae taeduisse videtur, ut in extrema parte definitiones corruptiores nec tam plenas quam initio dederit; quare haud scio an potius auctoris ipsius quam eorum, qui postea libellum descripserunt, culpa in fine abruptus sit. scatet autem totus libellus vitiis plurimis atque ineptissimis, quae cum partim satis ingeniose emendasset Nic. Heinsius, Gaisfordus in editione Oxoniensi librum non emendatiorem sed foediorem imprimendum curavit, quamvis facile esset pleraque Stobaeo et Aristotele ducibus corrigere. praecedit enim tractatus de affectibus, quo eaedem fere Stoicorum definitiones continentur, quas apud Stobaeum legimus, ita tamen ut Andronicus copiosior sit in dividendis affectuum generibus et, quamquam vitiis abundat, nonnulla habeat emendatiora quam Stobaeus. ad ipsum autem Chrysippum has definitiones esse referendas ex Plutarcho videmus, qui de Stoic. rep. c. 25 ex altero Chrysippi περὶ ἀγαθοῦ libro easdem φθόνου

P 28900

et ἐπιχαιρεκακίας descriptiones exhibet. altera pars, in qua definitiones virtutum sunt, ex eodem fonte manavit quo tractatus περὶ ἀρετῶν καὶ κακιῶν, qui nescio quo casu Aristotelis libris insertus est; nam etsi omittit Andronicus vitiorum definitiones et, cum offenderet in plurali deorum numero, pro plurali θεοί ubique posuit θεός aliaque et maxime rerum tractandarum ordinem immutavit, tamen cetera ad verbum inter se consentiunt. auctor autem ex eorum numero fuit, qui Antiochi Ascalonitae exemplum secuti confusis et conexis inter se Platonicis ac Stoicis praeceptis imperatorum Romanorum aetate novam sibi ac suam philosophiam finxerunt. cum enim pleraque Stoicam doctrinam prae se ferant, etiam Platonis illam triplicem animae humanae divisionem auctor respicit, et ἀνδρείαν ἀρετὴν esse vult τοῦ θυμοειδοῦς, σωφροσύνην τοῦ ἐπιθυμητικοῦ τῆς ψυχῆς μέρους. quamquam non mihi proposui hoc loco Andronici libellum emendare, facere non possum quin uno exemplo ostendam qualia sint ea, quae in publicum edere Gaisfordus non erubuit. legitur in eius editione: ἐλευθερία δέ ἐστιν ἀρετὴ ψυχῆς εὐδαίμονος εἰς τὰ καλά. ἔργα δὲ αὐτῆς τὸ παρεκτικὸν εἶναι χρημάτων πρὸς τὰ ἐπαινετά, τὸ δαψιλεύεσθαι ἐπὶ τῷ εἰς δέοντα ἀναλωθῆναι, καὶ τὸ ἠθικὸν εἶναι ἐν τῷ διαφόρῳ καὶ φιλάνθρωπον, καὶ τὸ μὴ λαβεῖν ὅθεν οὐ δεῖ. ut scribatur εὐδάπανος εἰς τὰ καλά — τὸ προετικὸν εἶναι — καὶ τὸ βοηθητικὸν εἶναι et sensus ipse verborum flagitat et Aristoteles l. l. c. 6 docet. καὶ φιλάνθρωπον, quod ad sententiam accomodatum est, apud Aristotelem non legitur, ut dubites, an casu aliquo ibi exciderit, quod aliis quoque locis quaedam verba exciderunt, quae ex Andronico addenda sunt. velut c. 4 quo loco eae virtutes enumerantur, quae a prudentia vel proficiscuntur vel eius comites sunt, μνήμη, ἐμπειρία, ἀγχίνοια, ex Andronico addatur oportet εὐβουλία, δεξιότης, quod deinceps, cum has ipsas virtutes in duo genera dividit, εὐβουλίας mentionem facit etiam Aristoteles. item brevi post ἀνδρείας δ' ἐστὶ τὸ δυςέκπληκτον ὑπὸ φόβων τῶν περὶ θάνατον καὶ τὸ εὐθαρσῆ ἐν τοῖς δεινοῖς post εὐθαρσῆ ex Andronico adiciatur necesse est εἶναι. At gravissima menda videntur iam in eo libro fuisse, unde utraque disputatio manavit. etenim apud Aristotelem c. 4, 6 haec leguntur: Σωφροσύνης δ' ἐστὶ τὸ μὴ θαυμάζειν τὰς ἀπολαύσεις τῶν σωματικῶν ἡδονῶν καὶ τὸ εἶναι πάσης ἀπολαύσεως αἰσχρᾶς ἡδονῆς ἀνόρεκτον καὶ τὸ φοβεῖσθαι καὶ τὴν δικαίαν ἄδειαν καὶ τὸ τετάσθαι περὶ τὸν βίον ὁμοίως ἔν τε μικροῖς καὶ μεγάλοις. verba καὶ τὸ φοβεῖσθαι cet. quamquam sic vertuntur in editione Parisina: ac etiam licitis utendi rebus securitatem suspectam habere, et non magis, cum ampliter quam cum mediocriter suppetit, animum vitamque laxare, tamen vix quisquam quin corrupta sint dubitaverit. nam cum per ἄδειαν eius affectionem animi indicent, qui timore vacat, ineptum est praescribere, ut quis metuat vacuitatem timoris, ineptius etiam, ut iustam metus vacuitatem metuat. ac τετάσθαι περὶ τὸν βίον cet. quamvis verti possit animum per totam vitam intentum habere, tamen hoc nec iis virtutibus adnumeratur, quae subiunctae sunt temperantiae, nec omnino praescribitur a Stoicis. itaque haud miror, quod is, qui Andronici tractatum descripsit, corrupta verba omittere maluit; quamquam, quod ille scripsit, καὶ τὸ φοβεῖσθαι περὶ τὸν βίον ὁμοίως ἔν τε μικροῖς καὶ μεγάλοις etiam magis a vi ac natura moderationis abhorrere apparet. sed quae quaque virtute efficiantur, ita constituunt Stoici, ut rationem habeant partium illi virtuti subiunctarum; velut moderationi praeter alias subiciuntur αἰδημοσύνη sive αἰδώς et εὐταξία. quam ob causam scribendum iudico καὶ τὸ φοβεῖσθαι κατὰ τὴν δικαίαν αἰδῶ καὶ τὸ εὖ τετάχθαι περὶ τὸν βίον. nam cum σωφροσύνην versari velint Stoici in rebus expetendis et fugiendis (Plut. de stoic. rep. 7) eamque definierint ἐπιστήμην αἱρετῶν καὶ οὐχ αἱρετῶν καὶ οὐδετέρων (Stob. p. 30, 15) vel, ut alii dixerunt, ἐπιστήμην ὧν αἱρετέον καὶ εὐλαβητέον, eius

autem partem pudorem descripserint *ἐπιστήμην εὐλαβητικὴν ὀρθοῦ ψόγου*, temperantiae sive *σωφροσύνης* est cavere ea, quae ex praeceptis iusti verique pudoris metuenda sunt. Esse autem alium pudorem improbum ac perversum, si quem eorum pudet, quae turpia et inhonesta non sunt, explicare non opus est. *εὐταξίαν* vero, qua in virtute explicanda multi fuisse videntur Stoici, definierunt *ἐπιστήμην τοῦ πότε πρακτέον καὶ τί μετά τι καὶ καθόλως τῆς τάξεως τῶν πραγμάτων*. haec igitur significatur verbis *καὶ τὸ εὖ τετάχθαι περὶ τὸν βίον*. Nam etiam verbo *τάττεσθαι* illos eadem ratione esse usos ostendit idem Aristoteli attributus libellus c. 6. *Καθόλου δὲ τῆς μὲν ἀρετῆς ἐστι τὸ ποιεῖν σπουδαίαν τὴν διάθεσιν περὶ τὴν ψυχὴν ἠρεμαίαις καὶ τεταγμέναις τῆς κινήσεσι χρωμένην*, unde quis suspicetur satis esse illo, de quo agimus, loco scribere *τὸ τετάχθαι περὶ τὸν βίον* pro *τὸ εὖ τετάχθαι*.

Denique tertia pars libelli, qui Andronici nomine fertur, eaque brevissima, quae inscribitur *κατὰ Χρύσιππον*, easdem virtutes sapientiae et fortitudini subnexas enumerat, eisdemque definitionibus explicat, quas apud Stobaeum legimus, unde apparet hanc quoque partem commentationis Stobaei ad Chrysippum esse referendam.

Sed ad ipsum Stobaeum nos convertamus, cuius verba ex editione Meinekii exhibeo.

Quae p. 28, 20 de triplici bonorum divisione Stobaeus dicit, prorsus consentiunt cum iis, quae apud Diog. VII. 94 leguntur, de quibus fusius disputabo propediem in annalibus philologicis. sic autem Stobaeus: *τὸ δ' ἀγαθὸν λέγεσθαί φασι πλεοναχῶς, τὸ μὲν πρῶτον οἷον πήγης ἔχον χώραν, ὅπερ οὕτως ἀποδίδοσθαι, ἀφ' οὗ συμβαίνει ὠφελεῖσθαι, τὸ δὲ πρῶτον εἶναι αἴτιον, ἢ ὑφ' οὗ*. verba *τὸ δὲ πρῶτον εἶναι αἴτιον* turbare universam structuram verborum nemo non concedet; coniungendum est enim *ἢ ὑφ' οὗ* cum *ἀφ' οὗ συμβαίνει ὠφελεῖσθαι*, ut Sext. adv. Math. XI. 25 (cfr. Pyrrh. Hyp. III. 169) dicit: *λέγεται γὰρ ἀγαθόν φασι, καθ' ἕνα μὲν τρόπον τὸ ὑφ' οὗ ἢ ἀφ' οὗ ἔστιν ὠφελεῖσθαι, ὃ δὴ ἀρχικώτατον ὑπῆρχε καὶ ἀρετή*. itaque suspiceris verba illa per interpolatorem temere esse inlata, nisi interpolationes in hac eclogarum particula nullae fere extent; scribendum autem esse *τῷ πρῶτον εἶναι αἴτιον* ex scholiasta Luciani apparet, apud quem p. 209 Jac. legitur: *τριχῶς ἔλεγον οἱ στωικοὶ τὸ ἀγαθόν. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον καὶ οἷον πήγης ἔχον χώραν, ὃ καὶ ἀφορίζονται ἀγαθὸν εἶναι λέγοντες, ἀφ' οὗ συμβαίνει ὠφελεῖσθαι τῷ πρώτως εἶναι αἰτίαν καὶ ὑφ' οὗ*. nam ideo, quod virtus omnis boni causa principalis et quasi fons est, id dicitur esse, ex quo vel a quo utilitas gignatur.

29, 10. *Τῶν δὲ περὶ ψυχὴν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι διαθέσεις τὰ δ' ἕξεις, τὰ δ' ἕξεις μὲν διαθέσεις δ' οὔ, τὰ δὲ οὔτε ἕξεις οὔτε διαθέσεις. διαθέσεις μὲν τὰς ἀρετὰς πάσας, ἕξεις δὲ μόνον καὶ οὐ διαθέσεις τὰ ἐπιτηδεύματα, ὡς τὴν μαντικὴν καὶ τὰ παραπλήσια, οὔτε δὲ ἕξεις οὔτε διαθέσεις τὰς κατ' ἀρετὰς ἐνεργείας, οἷον φρόνησιν καὶ τὴν τῆς φρονήσεως κτῆσιν καὶ τὰ παραπλήσια*. in codicibus est *τὰς μὲν εἶναι διαθέσεις, τὰς δ' ἕξεις μὲν διαθέσεις δ' οὔ*, sed iam Heerenius *τὰ μὲν — τὰ δὲ* scribendum esse intellexit. cur vero Meineke *τὰ δ' ἕξεις* addiderit non intellego; nam tria non quattuor genera constitui proxima ostendunt. Quid differre voluerint Stoici inter *διαθέσεις* et *ἕξεις* a Simplicio docemur in Arist. Cat. 70, b, 38 *οὕτωσὶ δὲ καὶ τὰς ἀρετὰς διαθέσεις οὐ κατὰ τὸ μόνιμον ἰδίωμα ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀνεπίτατον καὶ ἀνεπίδεκτον τοῦ μᾶλλον — καὶ γὰρ τὰς μὲν ἕξεις ἐπιτείνεσθαί φασι δύνασθαι καὶ τὴν εὐθύτητα τῆς ῥάβδου, κἂν εὐμετάβολος ᾖ δυναμένη κάμπτεσθαι, διάθεσιν εἶναί φασιν. μὴ γὰρ ἀνεθῆναι ἢ ἐπιταθῆναι τὴν εὐθύτητα μήτε ἔχειν τὸ μᾶλλον ἢ ἧττον, διόπερ εἶναι διάθεσιν*. cfr. ibid. p. 76, a, 15. Diog. VII. 101. sed quamquam virtutes solas esse *διαθέσεις*

iudicarunt Stoici, neque in artes, quarum alter altero magis particeps esse potest, id nomen transtulerunt, tamen hanc distinctionem non ita servarunt, ut non virtutes quoque saepe ἕξεις dicerent, velut apud Diogenem VII. 93 pleraeque virtutes ἐπιστῆμαι ἢ ἕξεις vocantur (cfr. Stob. p. 37, 15 s.), atque hac ipsa de causa, ut videtur, Stobaeus alterum genus ita descripsit, ut diceret ἕξεις μὲν διαθέσεις δ' οὔ. licuit virtutes vocare ἕξεις καὶ διαθέσεις, sed suffecit etiam solum διαθέσεις. velut Schol. Luciani p. 210 dicit: καὶ ἔτι τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναί φασι διαθέσεις, ὡς τὰς ἀρετάς, τὰ δὲ ἕξεις, ὡς τὰ ἐπιτηδεύματα κ. τ. λ. cfr. Diog. VII. 98. — Non rectius igitur l. 18 in divisione vitiorum Meineke adiecit τὰ δ' ἕξεις. — Tertio generi adscribuntur actiones a virtute profectae, quarum exempla proponit Stobaeus φρόνησιν καὶ τὴν τῆς σωφροσύνης κτῆσιν. at quoniam φρόνησις ipsa sapientiae virtus nominatur, scribendum est ex schol. Luciani l. l. φρονίμευσις. nam hac voce etiam Stobaeum usum esse cum inde veri simile est, quod inter actiones inhonestas commemorat ἀφρόνευσιν, tum non minus inusitato nomine recte facta, quae ex prudentia et temperantia oriuntur, p. 53, 12 dicit φρονιμεύματα et σωφρονιμεύματα. Sed etiam τῆς σωφροσύνης κτῆσιν non recte se habere videtur; nam quatenus possidetur temperantia, quia magis minusve haberi non potest, διάθεσις est. scribendum est igitur, si quid video, σωφροσύνης χρῆσιν, i. e. actio temperantiae conveniens.

29, 27. Τῶν δ' ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι τελικὰ τὰ δὲ ποιητικὰ τὰ δ' ἀμφοτέρως ἔχοντα. ὁ μὲν οὖν φρόνιμος ἄνθρωπος καὶ ὁ φίλος ποιητικὰ μόνον ἐστὶν ἀγαθά, χαρὰ δὲ καὶ εὐφροσύνη καὶ θάρρος . . . καὶ φρονίμη περιπάτησις τελικὰ μόνον ἐστὶν ἀγαθά, αἱ δ' ἀρεταὶ πᾶσαι καὶ ποιητικά ἐστιν ἀγαθὰ καὶ τελικά· καὶ γὰρ ἀπογεννῶσι τὴν εὐδαιμονίαν καὶ συμπληροῦσι μέρη αὐτῆς γινόμενα. ad ultimum pertinentia sive τελικὰ bona Stoici cum eas animi affectiones dixerunt, quae sequuntur virtutem ab eaque necessario efficiuntur, quamquam sapiens iis non semper tenetur, velut affectus rationi obtemperantes, quas εὐπαθείας illi, Cicero Tusc. disp. IV. 6, 12 constantias dicit, βούλησιν χαρὰν εὐλάβειαν, aliosque animi habitus, qui velut ἐλευθερία in sapientem solum cadunt, tum vero actiones e virtute aptas huc pertinere statuerunt; ποιητικὰ autem ea dicunt, quae quod virtutem augent, ad efficiendam beatitudinem valent, quo in genere nihil habuerunt nisi virum sapientem et amicum. virtutes autem et efficientia et ad ultimum pertinentia bona sunt; nam quatenus perficiunt beatitudinem, efficientia sunt, quatenus partes sunt principalis virtutis, quae ipsa est vita absoluta et beatitudo, τελικά sunt. iam in exemplis pertinentium bonorum lacunam esse statuit Meineke, nec minus in serie pertinentium vitiorum, quam sic exhibet p. 30, 5: λύπη δὲ . . . . . καὶ φόβος καὶ κλοπὴ καὶ ἄφρων ἐρώτησις καὶ τὰ ὅμοια τελικά. desiderat enim priore loco notionem, quae respondeat voci κλοπή, altero loco notionem, quae opponatur εὐφροσύνῃ. at εὐπάθεια illa, quae contraria est perturbationi aegritudinis, sive χαρὰ sive εὐφροσύνη vocatur, qua de causa etiam p. 27, 18 et 28 his duabus notionibus una λύπη respondet. etiam inter bona pertinentia non qui descripsit libellum, sed ipse auctor exemplum omisisse videtur, quia sermo notionem κλοπῇ contrariam non suppetidabat, nam εὐεργεσία, quod Meineke propter p. 52, 32 coniecit, illi non satis respondere videtur. quo ipso loco cum Meineke male factorum enumerationem sic exhibeat: καὶ τὸ ἀδικεῖν καὶ τὸ λυπεῖσθαι καὶ τὸ φοβεῖσθαι καὶ τὸ κλέπτειν . . . . . καὶ καθόλου ὅσα παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττεται, nescio an omnia sana sint et ipse scriptor hanc seriem non tam plenam quam priorem indicaverit, sicut etiam p. 27, 28 λύπην δὲ καὶ φόβον καὶ τὰ παραπλήσια οὐκ εἶναι κακίας omisit vocem ἐπιθυμίαν, quae respondeat praecedenti βούλησις.

31, 13. Εὐλογιστίαν δὲ ἐπιστήμην ἀνταναιρετικὴν καὶ μὴ κεφαλαιωτικὴν τῶν γιγνομένων καὶ ἀποτελουμένων. Wyttenbach ad Plut. II. p. 103 A coniecit ἅμα διαιρετικὴν καὶ

ἀνακεφαλαιωτικήν, quod etsi non improbat Meineke, sufficere opinatur ἀναιρετικὴν καὶ δὴ καὶ κεφαλαιωτικήν, quia εὐλογιστία turbet et tollat rationes ductas, sed eadem etiam colligat summam rationem. sed ex Andronico Rhodio apparet scribendum esse ἀνταναιρετικὴν καὶ συγκεφαλαιωτικήν, i. e eam scientiam, quae comparat data et accepta et vicissim tollit (cfr. ἀνταναίρεσις Aristot. top. 8, 2.), et colligendis singulis rebus quae reliqui summa fiat constituit. hanc virtutem accuratius descripsit Cicero de off. I. 18, 59. Haec igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus et addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat: ex quo quantum cuique debeatur intellegas. nam Stoici ut singula, quae ad officia pertinebant, diligentissime perscrutabantur, ita quae cuique officia deberemus, fusius explicabant, cum et hanc rationem proponebant, ut ei plurima deberemus, a quo ipsi plurima accepissemus, et varios necessitudinum ac temporum gradus observari iubebant.

31, 16. νουνέχειαν δὲ ἐπιστήμην ἐπιτευκτικὴν τοῦ ἐν ἑκάστῳ σκοποῦ. inter eas Andronici definitiones, quas cum Stobaeo prorsus consentire dixi, praeter νουνέχειαν commemoratur εὐστοχία, eaeque sic definiuntur: νουνέχεια ἐπιστήμη τῶν χειρόνων καὶ βελτιόνων, εὐστοχία ἐπιστήμη ἐπιτευκτικὴ τοῦ ἐν ἑκάστῳ σκοποῦ. iam qui reputaverit, quantopere Stoici etymologiam, quam saepe perversissima ratione sibi finxerunt, in definiendis notionibus secuti sint, quin veram Chrysippi definitionem nobis servaverit Andronicus non dubitabit. apparet igitur Stobaeum omisisse εὐστοχίαν eiusque definitionem transtulisse in νουνεχείας notionem.

31, 27. μεγαλοψυχίαν δὲ ἐπιστήμην ὑπεράνω ποιοῦσαν τῶν πεφυκότων ἐν σπουδαίοις τε γίγνεσθαι καὶ φαύλοις. haec verba propter Diogenem Laertium affero, apud quem VII. 93 legitur: τὴν δὲ μεγαλοψυχίαν ἐπιστήμην ἢ ἕξιν ὑπεράνω ποιοῦσαν τῶν συμβαινόντων κοινῇ φαύλων τε καὶ σπουδαίων. sed quoniam φαῦλα et σπουδαῖα, turpia et inhonesta ea sola Stoici dixerunt, quae virtuti aut contraria sunt aut cum ea consentiunt, his rebus animum humanum non potest excelsiorem reddere μεγαλοψυχία, quae quidem in eo cernitur, cum persuasum est nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere. Cic. de off. I. 20, 65. contra quae non minus improbis quam sapientibus viris contingere possunt, ἀδιάφορα sunt sive res externae, quarum in despicientia ponitur animi magnitudo. scribendum igitur est apud Diogenem φαύλοις τε καὶ σπουδαίοις, quamquam eandem quam nos scripturam iam Suidas (s. v. μεγαλοψυχία) apud Diogenem invenit.

32, 4. Πασῶν δὲ τούτων τῶν ἀρετῶν τὸ τέλος εἶναι τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, ἑκάστην δὲ τούτου διὰ τῶν ἰδίων παρέχεσθαι τυγχάνοντα τὸν ἄνθρωπον. ἔχειν γὰρ ἀφορμὰς παρὰ τῆς φύσεως καὶ πρὸς τὴν τοῦ καθήκοντος εὕρεσιν καὶ πρὸς τὴν τῶν ὁρμῶν εὐστάθειαν καὶ πρὸς τὰς ὑπομονὰς καὶ πρὸς τὰς ἀπονεμήσεις κατὰ τὸ σύμφωνον. καὶ τὸ ἑξῆς ἑκάστη τῶν ἀρετῶν πράττουσα παρέχεται τὸν ἄνθρωπον ἀκολούθως τῇ φύσει ζῶντα. verba καὶ τὰ ἑξῆς — πράττουσα Heerenius vertit: quaeque virtus, dum quae his consentanea sunt, efficit, sed τὸ ἑξῆς nihil est nisi 'id, quod deinceps sequitur'. et quod haec enuntiati pars καὶ τὸ ἑξῆς ἑκάστη — πράττουσα παρέχεται — ζῶντα respondet priori illi ἑκάστην δὲ τούτου διὰ τῶν ἰδίων παρέχεσθαι τυγχάνοντα τὸν ἄνθρωπον, satis perspicuum est scribendum esse καὶ τὸ ἑαυτῆς pro καὶ τὸ ἑξῆς. Quod ipsum confirmat Diogenes VII. 126 εἰ τὰ μὲν αἱρετικῶς ποιεῖ, τὰ δ' ὑπομενητικῶς — — φρόνιμός ἐστι καὶ ἀνδρεῖος καὶ δίκαιος καὶ σώφρων. κεφαλαιοῦσθαι δ' ἑκάστην τῶν ἀρετῶν περί τι ἴδιον κεφάλαιον, οἷον τὴν ἀνδρείαν περὶ τά ὑπομενητέα — — ὁμοίως τε καὶ τὰς ἄλλας περὶ τὰ οἰκεῖα τρέπεσθαι.

32, 22. *καὶ ὁμοίως ὥσπερ ἰσχὺς τοῦ σώματος τόνος ἐστὶν ἱκανὸς ἐν νεύροις, οὕτω καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἰσχὺς τόνος ἐστὶν ἱκανὸς ἐν τῷ κρίνειν καὶ πράττειν καὶ μή.* hanc corporis animique virtutum collationem a Chrysippo institutam esse ex Galeno cognoscimus, qui de dogm. Hippocr. et Plat. IV. 6 p. 404 haec Chrysippi verba affert: *ἔτι δὲ κατὰ τοῦτ' ἴσως οἱ ἐπὶ τοῦ σώματος λέγονται τόνοι ἄτονοι καὶ εὔτονοι εἶναι κατὰ τὸ νευρῶδες τῷ δύνασθαι ἡμᾶς ἢ ἀδυνατεῖν ἐν τοῖς διὰ τούτων ἐπιτελουμένοις ἔργοις· καὶ ὁ ἐν τῇ ψυχῇ λέγεται τόνος ὡς εὐτονία καὶ ἀτονία.* cfr. Cic. Tusc. IV. 13, 31. sed iam ante illum Cleanthes omnem virtutem *ἰσχὺν* esse voluit. Plut. de stoic. rep. c. 7 *ὁ δὲ Κλεάνθης ἐν Ὑπομνήμασι φυσικοῖς εἰπών, ὅτι πλήγη πυρὸς ὁ τόνος ἐστί, κἂν ἱκανὸς ἐν τῇ ψυχῇ γένηται πρὸς τὸ ἐπιτελεῖν τὰ ἐπιβάλλοντα, ἰσχὺς καλεῖται καὶ κράτος.* iure igitur Meineke offendit in verbis *καὶ μή;* nam in non iudicando et non agendo robur animi cerni non potest. sed ne Meureri quidem coniectura *πράττειν ὡς δεῖ καὶ μή,* quam probare videtur Meineke, satis apta videtur; nam virtus sive *ἰσχύς* non versatur in agendo ut non decet. equidem quod nec quid exciderit, nec unde corruptae sint voces prorsus supervacuae *καὶ μὴ* videam, temere eas illatas esse credo ab ipso Stobaeo, qui quin Stoicorum praecepta non satis intellexerit, nemo dubitare potest.

32, 25. *ὥσπερ τε τὸ κάλλος τοῦ σώματός ἐστι συμμετρία τῶν μελῶν καθεστώτων αὐτῷ πρὸς ἄλληλά τε καὶ πρὸς τὸ ὅλον, οὕτω καὶ τὸ τῆς ψυχῆς κάλλος ἐστὶ συμμετρία τοῦ λόγου καὶ τῶν μερῶν αὐτοῦ πρὸς ὅλον τε αὐτοῦ καὶ πρὸς ἄλληλα.* nec *αὐτῷ,* quod retinet Meineke satis aptum esse nec *αὐτό,* quod Heerenius coniecit, ferri posse videtur. si respexeris contrariam sententiam, opineris scribendum esse *τῶν μελῶν αὐτοῦ καθεστώτων.* sed quia desideratur adverbium aliquod, nescio an *ὀρθῶς* scribendum sit pro *αὐτῷ.* cfr. Cic. Tusc. IV. 13, 31 et ut corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate eaque dicitur pulchritudo, sic in animo opinionum iudiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens aut virtutis vim ipsam continens pulchritudo vocatur.

33, 26. *τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὰς ἀρετὰς πάσας ποιεῖσθαι μὲν τέλος τὸ εὐδαιμονεῖν, ὅ ἐστι κείμενον ἐν τῷ ζῆν ὁμολογουμένως τῇ φύσει, τούτου δ' ἄλλον κατ' ἄλλην τυγχάνειν.* in contentionem vocat Panaetius virtutes singulas cum sagittariis, qui cum eundem omnes scopum propositum habeant, tamen alius in alium colorum, quibus ille distinctus est, sagittam dirigit: sic virtutes quamquam omnes, ut beatitudinem efficiant, propositum habent, tamen alia alia ratione eam efficere studet. apparet igitur, quoniam de virtutibus agitur, scribendum esse *ἄλλην κατ' ἄλλην.* nam non homines alios per aliam virtutem parare sibi beatitudinem dicitur, quod quidem prorsus pugnaret cum Stoicorum doctrina.

34, 24. *τὸν δ' ἐρωτικὸν καὶ διχῇ λέγεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἀρετὴν ποιὸν σπουδαῖον ὄντα, τὸν δὲ κατὰ κακίαν ἐν ψόγῳ ὡς ἂν ἐρωτομανῆ τινα. ἔτι δ' ἔρωτα τὸν γ' ἀξιέραστον ὁμοίως λέγεσθαι τῷ ἀξιοφιλήτῳ καὶ οὕτως ἀξιαπολαύστῳ· τὸν γὰρ ἄξιον σπουδαίου ἔρωτος, τοῦτον εἶναι ἀξιέραστον.* hoc loco quis non miretur amorem ipsum dici dignum, qui ametur, *ἀξιέραστον,* eundemque *ἀξιοφίλητον,* quamquam haec adiectiva nisi ad homines referri non videntur et in proxima enuntiatione, quae huius ipsius sententiae causam affert eamque explicat, homo dignus amore vocatur *ἀξιέραστος.* cfr. p. 67, 2. Diog. VI, 12 *ἀξιέραστος ὁ ἀγαθός, οἱ σπουδαῖοι φίλοι.* etiam *ἔρωτα τὸν γ' ἀξιέραστον* ab reliqua dicendi ratione, qua hic scriptor utitur, abhorrere videtur. si vero quis verba sic interpretari vellet: 'qui, quod ad amorem pertinet, dignus est amore,' non solum accusativus *ἔρωτα* prorsus redundaret, sed non minus illud *γε.* Stoici cum ne a sapiente

quidem amorem esse alienum dicerent, dissentientes ab Epicuro, qui amorem *σύντονον ὄρεξιν ἀφροδισίων* esse statuit (Suidas s. v. *ἔρως*), amorem iudicabant non stupri, sed amicitiae esse, nec quemquam amore dignum esse, nisi qui amicitia esset dignus, nec alium quam amicitiae fructum ex amato esse percipiendum. Athen. XIII. 12 *Ποντιανὸς δὲ Ζήνωνα ἔφη τὸν Κιτιέα ὑπολαμβάνειν τὸν Ἔρωτα θεὸν εἶναι φιλίας καὶ ἐλευθερίας ἔτι δὲ καὶ ὁμονοίας παρασκευαστικόν, ἄλλου δ' οὐδενός.* Diog. VII. 130 *εἶναι δὲ τὸν ἔρωτα ἐπιβολὴν φιλοποιίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον· καὶ μὴ εἶναι συνουσίας ἀλλὰ φιλίας — — εἶναι οὖν τὸν ἔρωτα φιλίας ὡς καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ ἔρωτός φησι.* cfr. Cic. Tusc. IV. 30, 70. qua de causa etiam apud Stobaeum scribendum iudico *ἔτι δ' ἔρωτα εἶναι φιλίας· τόν γ' ἀξιέραστον ὁμοίως λέγεσθαι τῷ ἀξιοφιλήτῳ κ. τ. λ.*

35, 1. *τὴν (ἐρωτικὴν) δὲ ἐπιστήμην νέων θήρας εὐφυῶν πρὸς τέρψιν οὖσαν ἐπὶ τὴν κατ' ἀρετήν, καὶ καθόλου ἐπιστήμην τοῦ καλῶς ἐρᾶν.* corrupta esse haec verba nemo non concedet. Meineke suspicatur scribendum esse *πρὸς τέρψιν ἄγουσαν ἐπὶ τὸ ζῆν κατ' ἀρετήν.* sed haec definitio nimis discrepat ab omnibus definitionibus amoris, quas a Stoicis propositas apud Diogenem, Plutarchum, alios legimus, tum nescio an haec voluptas sive delectatio (*τέρψις*) ad vitam virtuti consentaneam ducens abhorreat a Stoicae doctrinae severitate. Heerenius coniecit *πρὸς τρέψιν οὖσαν ἐπὶ τὴν κατ' ἀρετήν.* sic autem Plutarchus adv. Stoic. c. 28 *θήρα γάρ τις, φασίν, ἐστὶν ὁ ἔρως ἀτελοῦς μὲν εὐφυοῦς δὲ μειρακίου πρὸς ἀρετήν.* Diog. VII. 129 *καὶ ἐρασθήσεσθαι τὸν σοφὸν τῶν νέων, τῶν ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυίαν.* quare etiam hoc loco excidisse puto *ἀρετήν* scribendumque *εὐφυῶν πρὸς ἀρετήν, τρέψιν οὖσαν ἐπὶ τὴν κατ' ἀρετήν.* nam *τρέψις* dixisse Stoicos pro *τροπή* cognoscimus ex Diog. VII. 114. id autem consilium in amore sapientem sequi iudicant, ut pueros, qui externa specie praeclaram virtutis indolem ostendunt, ad virtutem perducat. quare, quod irridet Plutarchus, desinere iudicabant amorem, si ad sapientiam pueri pervenissent. Plut. amat. 4 *ἔρως γὰρ εὐφυοῦς καὶ νέας ψυχῆς ἁψάμενος εἰς ἀρετὴν διὰ φιλίας τελευτᾷ.* qua in sententia illi Cynicos auctores sequebantur, si recte intellego corruptum Plutarchi locum, amat. c. 16 *ὑφ' ὧν ἀγόμενος τάχυ συναιρεῖ (ὁ ἐρώμενος) πολλὴν ὁδόν, ὥσπερ οἱ Κυνικοὶ λέγουσι σύντονον ὁμοῦ καὶ σύντομον εὑρηκέναι πορείαν ἐπ' ἀρετήν.* — Andronici Rhodii definitionem sic exhibet Gaisfordus: *Ἔρως δὲ ἐπιθυμία φιλίας ἢ ἐπιθυμία θροῦ* (al. *θεοῦ*) *εἰς ναῶν κατὰ κόσμησιν καλῶν, ἣν ἐπιβουλὴν καλοῦσι φιλοπονίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον.* quamquam iam Davisius ad Cic. Tusc. IV. 34, 72 locum sic emendaverat: *ἢ ἐπιθυμία ἀνθρώπου εἰς νέον κατὰ κόσμησιν καλόν, ἣν ἐπιβολὴν καλοῦσι φιλοποιίας κ. τ. λ.*; qua in Davisii emendatione hoc unum non probo *ἀνθρώπου εἰς νέον — καλόν.* nam cum Stoici in definitionibus brevitati maxime operam dent, illud *ἀνθρώπου* prorsus supervacuum est. scribendum iudico *θήρας νέων — καλῶν,* atque nescio an pro *ἐπιθυμία* scribendum sit *ἐπιστήμη,* ut prorsus haec definitio cum Stobaeo consentiat.

35, 14. *τὸ γὰρ κατὰ λόγον ὀρθὸν ἐπιτελεῖν πάντα καὶ οἷον κατ' ἀρετήν, περὶ ὅλον οὖσαν τὸν βίον τέχνην, ἀκόλουθον ᾠήθησαν τῷ περὶ τοῦ πάντ' εὖ ποιεῖν τὸν σοφὸν δόγμα.* ostendit Stobaeus, quo iure Stoici sapientem omnia recte facere dixerint, scilicet ut tibicen et fidicen omnia recte faciunt, quae ex artis suae praeceptis faciunt (cfr. Diog. VII. 125), ita quod sapiens omnia secundum rectam rationem et virtutem agit, quae quasi totius vitae ars est, efficitur ut omnia recte agat. itaque scribendum est *τῷ γὰρ κατὰ λόγον ὀρθὸν ἐπιτελεῖν — ἀκόλουθον ᾠήθησαν τὸ περὶ τοῦ πάντ' εὖ ποιεῖν τὸν σοφὸν δόγμα.*

41, 32. *ποιεῖσθαι δὲ λέγουσι τὸν περὶ τούτων* (sc. *τῶν ἀδιαφόρων*) *λόγον τῶν πρώτων κατὰ φύσιν καὶ παρὰ φύσιν.* ad *τῶν πρώτων* Heerenius ex praecedentibus subintellegi iubet *περί,*

quod cum ex grammatica ratione vix fieri potest, tum ad sententiam aptum non esse videtur. addendum potius ἐκ ante τῶν πρώτων. nam Stoici cum constituerunt, quae rebus indifferentibus essent adnumeranda, quaeque producta, προηγμένα, quae reiecta, ἀποπροηγμένα, essent, proficiscebantur a primis naturae, quae dicuntur, sive principalibus naturae. quo nomine omnia ea complectebantur, quae prima homini natura ipsa commendat et quasi conciliat, priusquam ille rerum ordinem et constantiam videt et voluntate cum natura consentiendi — haec est enim virtus — impletur. cfr. Cic. de fin. III. 4, 16. Madwig ad Cic. de fin. p. 828. quo circa omnis de productis et reiciendis disputatio ad haec prima secundum naturam referri debet.

43, 1. τῆς δὲ ψυχῆς οὔσης κυριωτέρας τοῦ σώματος καὶ πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ζῆν, φασὶ τὰ περὶ τὴν ψυχὴν κατὰ φύσιν ὄντα καὶ προηγμένα πλείονα τὴν εὐεξίαν ἔχειν τῶν περὶ σῶμα καὶ τῶν ἔκτος. verba πλείονα τὴν εὐεξίαν ἔχειν cum vertenda sint, 'plus habent salutis', sane movent offensionem, nam illa animi producta quamquam valent ad vitam suaviorem reddendam, tamen ipsa per se non habent salutem. sed προηγμένα a Diogene VII. 105 definiuntur τὰ ἔχοντα ἀξίαν, ἀποπροηγμένα δὲ τὰ ἀναξίαν ἔχοντα. cfr. Sext. adv. Math. XI. 62. καὶ προηγμένα μὲν εἶναι τὰ ἱκανὴν ἀξίαν ἔχοντα, ἀποπροηγμένα τὰ ἱκανὴν ἀπαξίαν ἔχοντα. id. Pyrrh. Hyp. III. 191 Stob. p. 42. 10 προηγμένα μὲν ὅσα ἀδιάφορα ὄντα πολλὴν ἔχει ἀξίαν, ὡς ἐν ἀδιαφόροις. cfr. p. 44, 1 et 25. qua de causa etiam hoc loco scribendum iudico πλείονα τὴν ἀξίαν ἔχειν. quod quidem confirmatur a scholiasta Luciani l. c. τῆς δὲ ψυχῆς οὔσης κυριωτέρας πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ζῆν, δῆλον ὅτι καὶ τὰ περὶ ψυχὴν κατὰ φύσιν ὄντα καὶ προηγούμενα τὴν ἀξίαν ἔχει τῶν περὶ τὸ σῶμα καὶ τῶν ἔκτος. quo loco, si Stobaei verba respicio, nescio an addendum sit πλείονα ante τὴν ἀξίαν.

44, 2. τὴν δ' ἀξίαν λέγεσθαι τριχῶς, τήν τε δόσιν καὶ τιμὴν καθ' αὑτό (codd. καὶ τὴν καθ' αὑτό), καὶ τὴν ἀμοιβὴν τοῦ δοκιμαστοῦ καὶ τὴν τρίτην, ἣν ὁ Ἀντίπατρος ἐκλεκτικὴν προσαγορεύει, καθ' ἣν διδόντων τῶν πραγμάτων τάδε τινὰ μᾶλλον ἀντὶ τῶνδε αἱρούμεθα, οἷον ὑγίειαν ἀντὶ νόσου καὶ ζωὴν ἀντὶ θανάτου καὶ πλοῦτον ἀντὶ πενίας. — — τὴν δὲ δόσιν φησὶν ὁ Διογένης κρίσιν εἶναι, ἐφ' ὅσον κατὰ φύσιν ἐστὶν ἢ ἐφ' ὅσον χρείαν τῇ φύσει παρέχεται. τὸ δὲ δοκιμαστικὸν οὐχ ὡς λέγεται τὰ πράγματα δοκιμαστὰ παραλαμβάνεσθαι, ἀλλ' ὡς δοκιμαστήν φαμεν εἶναι τὸν τὰ πράγματα δοκιμάζοντα· τῆς οὖν ἀμοιβῆς τὸν τοιοῦτόν φασι δοκιμαστὴν εἶναι. καὶ ταύτας μὲν τὰς δύο ἀξίας, καθ' ἃς λέγομέν τινα τῇ ἀξίᾳ προῆχθαι. τρίτην δέ φησιν εἶναι, καθ' ἣν φαμεν ἀξίωμά τινα ἔχειν καὶ ἀξίαν, ἥπερ περὶ ἀδιάφορα οὐ γίγνεται ἀλλὰ περὶ μόνα τὰ σπουδαῖα. in his cum multa sint obscura atque perturbata, maximam partem Stobaeo ipsi vel potius ei, cuius ille librum descripsit, crimini danda sunt. ille enim cum non intellegeret, qua in re Antipater et Diogenes inter se consentirent, stolide eorum praecepta confudit. multo luculentius eandem quaestionem tractavit Diogenes VII. 105: ἀξίαν δὲ τὴν μέν τινα λέγουσι σύμβλησιν πρὸς τὸν ὁμολογούμενον βίον, ἥτις ἐστὶ περὶ πᾶν ἀγαθόν· τὴν δὲ εἶναι μέσην τινὰ δύναμιν ἢ χρείαν συμβαλλομένην πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον, ὅμοιον εἰπεῖν ἥντινα προσφέρεται πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον πλοῦτος ἢ ὑγίεια· τὴν δὲ εἶναι ἀξίαν ἀμοιβὴν δοκιμαστοῦ, ἣν ἂν ὁ ἔμπειρος τῶν πραγμάτων τάξῃ, ὅμοιον εἰπεῖν ἀμείβεσθαι πυροὺς πρὸς τὰς σὺν ἡμιόνῳ κριθάς.*) Triplicem igitur aestimationem sive ἀξίαν Stoici constituerunt,

*) Extrema verba miror quod ne Cobetius quidem pro corruptis habuit. mirum enim, ne dicam ridiculum commutationis exemplum proposuisset Diogenes, si triticum dixisset cum hordeo commutari adiecto mulo. maxime arridet, quod Kühne ad Suidam s. v. ἀδιάφορα coniecit πρὸς τὰς σὺν ἡμιολίῳ κριθάς, hanc enim annonam fuisse constat, ut tritici modius tantidem fere valeret, quanti sesquimodius hordei.

unam, quae genere valet non crescendo, qua non comparando cum aliis, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum (Cic. de fin. III. 10, 34), secundam, qua inter medias illas res alteras productas, alteras reiectas dicimus. hanc non Antipater solus, sed omnes Stoici *ἐκλεκτικήν* dixerunt, cfr. Plut. com. not. 26 *ἐκεῖνα (τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν) αὐτὰ καὶ τὸ τυγχάνειν αὐτῶν οὐ τέλος, ἀλλ' ὥσπερ ὕλη τις ὑπόκειται τὴν ἐκλεκτικὴν ἀξίαν ἔχουσα.* Stob. p. 41, 21. tertia est aestimatio, quae in rebus vendundis atque emendis fit; hanc quoniam secundo loco ponit Stobaeus, alteram tertio loco, primo loco illum per *τήν τε δόσιν καὶ τὴν καθ' αὑτό* primum aestimationis genus, quod virtuti proprium est, indicare necesse est. nihilo minus Diogenem secutus eam vocis *δόσις* explicationem proponit, quae apta est ad alterum genus rerum mediarum, et in extrema disputatione per *τρίτην δέ φησιν εἶναι κ. τ. λ.* denuo aestimationem virtuti propriam describit. haec quin non a librario aliquo corrupta, sed a scriptore ipso neglegenter et parum subtiliter exposita sint nemo potest dubitare. sed ita vocem *δόσις* explicat Diogenes, ut paululum recedat ab ea definitione, quae p. 59, 22 proponitur: *μηδὲ γὰρ τὴν κατ' ἀξίαν ποιεῖσθαι δόσιν τῆς ἀρετῆς τῶν φαύλων τινά, σπουδαῖον μὲν γὰρ εἶναι τὴν δόσιν, ἐπιστήμην οὖσαν, καθ' ἣν ἀξιόλογόν τι ἡγούμεθα περιποιεῖσθαι.* sequioris enim aevi scriptores cum haud raro *δόσιν ποιεῖσθαί τινος* dicant pro 'curam et diligentiam adhibere in aliqua re' (velut Dion. Hal. de admir. vi Dem. § 48 p. 1103, 5 R. *τοῦ πρέποντος ὅσην οὐδεὶς τῶν περὶ λόγους σπουδαζόντων ἐποιεῖτο δόσιν*), Stoici *δόσιν* vocarunt rectum iudicium quantum operae ac diligentiae in comparanda aliqua re adhibere deceat. quocirca primo loco scribendum puto *τήν τε δόσιν καὶ τὸ ἀξίωμα καθ' αὑτό* i. e. absoluta aestimatio. — Etiam *δοκιμαστόν* duplici ratione dicitur, primum id, quod laudatur, quae est sola virtus, cfr. p. 37, 3 *καὶ πᾶν μὲν ἀγαθὸν αἱρετὸν εἶναι· ἀρεστὸν γὰρ καί δοκιμαστὸν καὶ ἐπαινετὸν ὑπάρχειν*, deinde id, cuius pretium exploratur. iam Stobaeus monet, ne hoc loco, ubi *ἀμοιβὴ δοκιμαστοῦ* commemoratur, *δοκιμαστόν* illo sensu dictum putemus. cfr. Diogen. l. c. scribendum igitur non, ut in codicibus est, *τὸ δὲ δοκιμαστικόν*, nec, ut Meineke voluit, *τοῦ δὲ δοκιμαστοῦ*, sed *τὸ δὲ δοκιμαστὸν οὐχ ὡς λέγεται τὰ πράγματα* cet.

45, 32. *παραμετρεῖσθαι δὲ τὸ μέσον καθῆκον ἀδιαφόροις τισί, καλουμένοις δὲ παρὰ φύσιν καὶ κατὰ φύσιν, τοιαύτην δ' εὐφυίαν προσφερομένοις, ὥστ' εἰ μὴ λαμβάνοιμεν αὐτὰ ἢ διωθοίμεθα ἀπερισπάστως, μὴ ἂν εὐδαιμονεῖν.* confunderetur omnis vita, neque ullum sapientiae munus aut opus inveniretur, si inter eas res, quae ad vitam degendam pertinent, nihil omnino interesset, neque ullum delectum adhiberi oporteret. cfr. Cic. de fin. III. 15, 50. at *εὐφυία* est bona indoles ad virtutem, nam sic eam definiunt Stoici p. 61, 23: *ὥστε εὐφυίαν μὲν εἶναι κοινῶς ἕξιν ἐκ φύσεως ἢ ἐκ κατασκευῆς οἰκείαν πρὸς ἀρετήν, ἢ ἕξιν καθ' ἣν εὐανάληπτοι ἀρετῆς εἰσί τινες.* ad virtutem autem nihil pertinent res mediae illae. itaque nec, quod Lynden de Panaetio p. 98, *χρείαν*, nec, quod Meineke coniecit, *εὐποιίαν*, sed *εὐεξίαν* scribendum iudico.

46, 7. *κατὰ τὸ γένος δ' ἐνὶ ταύτης δ' ἀεὶ θεωρεῖσθαι τήν τε ἐν τοῖς λογικοῖς γιγνομένην ὁρμὴν καὶ τὴν ἐν τοῖς ἀλόγοις ζῴοις, οὐ κατωνομασμέναι δ' εἰσίν.* ne de librorum quidem scriptura satis constat, in quibus non illud, quod Meineke repraesentavit, sed *κατὰ τὸ γένος ταύτης δ' ἐνὶ ἀεί* esse videtur. contra quid sententia postulet perspicuum est. *φαντασίαν ὁρμητικήν*, qui omnis impetus fons est, aliam esse volunt Stoici in animantibus ratione praeditis, aliam in brutis. itaque Salmasius coniecit *κατὰ τὸ γένος δὲ ταύτην διττῶς θεωρεῖσθαι*, Meineke *κατὰ τὸ γένος δὲ ταύτην δεῖ θεωρ.* mihi propius accedere ad codicum scripturam videtur *κατὰ τὸ γένος δ' ἐν ταύτῃ δύο θεωρεῖσθαι.*

47, 11. *πρῶτα δ' εἶναι τῷ γένει ταῦτα τὰ τέσσαρα, ἐπιθυμίαν φόβον λύπην ἡδονήν. ἐπιθυμίαν μὲν οὖν καὶ φόβον προηγεῖσθαι, τὴν μὲν πρὸς τὸ φαινόμενον ἀγαθὸν τὴν δὲ πρὸς τὸ φαινόμενον κακόν. ἐπιγίγνεσθαι δὲ τούτοις ἡδονὴν καὶ λύπην.* Brandis in historia philosophiae Graecorum et Romanorum haec verba sic interpretatur: Begierde und Furcht wurden vorangestellt, wir wissen nicht, ob schon von Zeno, Lust und Bekümmerniss sollten hinzukommen, wahrscheinlich um diese nicht als solche anzuerkennen, worauf der Trieb ursprünglich gerichtet sein könne, wogegen es unbedenklich schien, Begierde und Furcht als solche zu fassen, die durch die zu Grunde liegenden Vorstellungen von Gütern und Uebeln unmittelbar auf den Trieb sich bezögen. at ille haec verba perperam intellexit. nam Stoici quatuor perturbationum genera aut ita diviserunt, ut duo, voluptatem et libidinem, bonorum, duo reliqua, metum et aegritudinem, malorum opinione turbari dicerent, cfr. Cic. Tusc. disp. III. 11, 25, aut ita ut metum et libidinem futuri, aegritudinem et voluptatem praesentis mali vel boni esse dicerent. quare erant, qui metum praemolestiam appellarent, quod esset quasi dux consequentis molestiae. Tusc. disp. IV. 30, 64. ex hac igitur ratione Stobaeus praecedere dicit opinato bono vel malo libidinem et metum, succedere voluptatem et aegritudinem. itaque *τούτοις* non ad *ἐπιθυμίαν* et *φόβον*, sed ad *ἀγαθόν* et *κακόν* referendum est. verbo *προηγεῖσθαι* eodem modo utitur Diog. VII. 49 *προηγεῖται γὰρ ἡ φαντασία, εἶθ' ἡ διάνοια — ὃ πάσχει ὑπὸ τῆς διανοίας τοῦτο ἐκφέρει λόγῳ.* id. X. 33 *προηγουμένων τῶν αἰσθήσεων* i. e. praecedentibus sensibus. Galen. de dogm. V. 5 p. 463 *προηγεῖσθαι δ' αὐτῆς (τῆς παθητικῆς ὁλκῆς) τὰς ψευδεῖς δόξας.*

48, 21. *λύπην δ' εἶναι συστολὴν ψυχῆς ἀπειθῆ λόγῳ, αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόσφατον κακὸν παρεῖναι, ἐφ' ᾧ καθήκει [συστέλλεσθαι. ἡδονὴν δ' εἶναι ἔπαρσιν ψυχῆς ἀπειθῆ λόγῳ, αἴτιον δ' αὐτῆς τὸ δοξάζειν πρόσφατον κακὸν παρεῖναι, ἐφ' ᾧ καθήκει] ἐπαίρεσθαι.* verba uncis inclusa Salmasius inserenda esse vidit, sed mirus error per Heerenii, Gaisfordi, Meinekii editiones propagatur. cum nemo mali laetitia percellatur, scribendum esse manifestum est: *πρόσφατον ἀγαθὸν παρεῖναι.* quamquam notasse errorem sufficit, affero Andron. *π. παθῶν: ἡδονὴ ἄλογος ἔπαρσις, ἢ δόξα πρόσφατος ἀγαθοῦ παρουσίας, ἐφ' ᾧ οἷόν τε δεῖν ἐκτείνεσθαι.* Cic. Tusc. disp. IV. 7, 14 laetitia opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur.

49, 12. *πόθος δὲ ἐπιθυμία τοῦ ἔρωτι ἀπόντος.* Heerenius scribi iussit *τοῦ ἄρτι ἀπόντος*, quod Ciceronis verbis (Tusc. disp. IV. 9, 21) desiderium libido eius, qui nondum adsit, videndi specie magis quam veritate comprobatur. Meineke suspicatur *τοῦ ἐρωμένου ἀπόντος*, mihi quod apud Andronicum legitur *ἐπιθυμία κατ' ἔρωτα ἀπόντος*, maxime placet *ἐπιθυμία κατ' ἔρωτα τοῦ ἀπόντος.*

49, 27. *ζηλοτυπίαν δὲ λύπην ἐπὶ τῷ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν. ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ.* eadem definitione Stobaeus supra *ζῆλον* explicavit, quem dicit esse *λύπην ἐπὶ τῷ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ, αὐτὸν δὲ μή.* qua de causa hoc, de quo disputamus loco, Heerenius scribere voluit *ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ μόνος ἔχειν.* id autem Stoici inter *ζῆλον* et *ζηλοτυπίαν* interesse iudicarunt, ut *ζῆλος*, quem Cicero Tusc. disp. IV. 8, 17 aemulationem dicit, aegritudo sit, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat, *ζηλοτυπία*, quam ille obtrectationem dicit, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit. itaque scribendum est *ἐπὶ τῷ καὶ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ*, idque confirmatur a Diogene VII. 111 *ζηλοτυπίαν δὲ λύπην ἐπὶ τῷ καὶ ἄλλῳ παρεῖναι, ἃ καὶ αὐτὸς ἔχει* (sic Cobetius, nescio an ex codicibus, locum restituit), neque minus ab Andronico, qui habet: *ζηλοτυπία ἐστὶ λύπη ἐπὶ τῷ καὶ ἄλλοις ὑπάρχειν καὶ ἡμῖν ὑπάρχειν*, ubi legendum est *ἃ ἡμῖν ὑπάρχει.*

50, 23. *τά τε ἀγαθὰ πάντα τῶν σπουδαίων εἶναι λέγουσι, καθ' ὃ καὶ τὸν ὠφελοῦντά τινα τῶν πλησίον καὶ ἑαυτὸν ὠφελεῖν.* prima sententia quamquam ipsa per se recta est, quod ex Stoicorum doctrina id, quod bonum est, nisi sapienti nemini contingere potest, tamen ad proximam sententiam minime apta est. qui enim inde efficitur, ut qui alteri aliquam utilitatem afferat, ipse sibi prosit? sed Stoici bona communia omnium sapientium esse, omniumque interesse iudicabant, ut omnia ubique ex virtute atque sapientia fierent; unde effici iudicabant, primum ut qui alteri prodesset, quod nisi honesta actione fieri non potest, ipse sibi prodesset, — nam ex virtute agit eamque tenet agendo, in qua summum bonum est —, deinde ut quidquid ubique recte et sapienter fieret, id ad omnes sapientes pertineret, quorum vel maxima utilitas in eo esset posita, ut omnia ex virtutis et sapientiae legibus agerentur. cfr. Madvig. ad Cic. de fin. p. 466. Plut. adv. Stoic. c. 22. Stobaeus cum haud raro eadem praecepta eisdem fere verbis iterum exponat, sic dicit p. 56, 25: *τὰ δὲ ἀγαθὰ πάντα κοινὰ εἶναι τῶν σπουδαίων, τῶν δὲ φαύλων τὰ κακά, δι' ὃ καὶ τὸν ὠφελοῦντά τινα καὶ αὐτὸν ὠφελεῖσθαι, τὸν δὲ βλάπτοντα καὶ ἑαυτὸν βλάπτειν. πάντας δὲ τοὺς σπουδαίους ὠφελεῖν ἀλλήλους κ. τ. λ.* quae si respicio, etiam illo, de quo disputamus, loco, aut *κοινά* post *πάντα* adiciendum, aut pro *πάντα* scribendum esse *πάντων* iudico.

51, 13. *τριχῶς δὲ λεγομένης τῆς φιλίας, καθ' ἕνα μὲν τρόπον τῆς κοινῆς ἕνεκ' ὠφελείας, καθ' ἣν φίλοι εἶναι λέγονται, ταύτην μὲν οὔ φασι τῶν ἀγαθῶν εἶναι, — τὴν δὲ κατὰ τὸ δεύτερον σημαινόμενον λεγομένην φιλίαν, κατάσχεσιν οὖσαν φιλικὴν πρὸς τὸν πέλας, τῶν ἐκτὸς λέγουσιν ἀγαθῶν· τὴν δὲ περὶ αὐτὸν φιλίαν, καθ' ἣν φίλος ἐστὶ τῶν πέλας, τῶν περὶ ψυχὴν ἀποφαίνουσιν ἀγαθῶν.* tria genera amicitiae Stoici constituebant; primum est vulgaris amicitiae, quae cum utilitatis causa ineatur neque quidquam pertineat ad virtutem, si quidem amicitia est vocanda, tamen bonis rebus adnumeranda non est. alterum genus ab naturali affectione illa, qua omnes homines inter se conciliantur, oritur; quae amicitia cum naturae conveniens sit, neque tamen aut ipsa virtus sit, aut cum virtute cohaereat, inter externa bona numeratur. tertium genus illi sapienti soli tribuebant. verba, quibus hoc genus explicatur, Heerenius sic vertit: tertium vero, secundum quod amicus est alteri eius ipsius causa, inter animi bona ponunt; quamquam verba ista *τὴν περὶ αὐτὸν φιλίαν, καθ' ἣν φίλος ἐστὶ τῶν πέλας* ita interpretari debeo: amicitia, quae ipsum spectat (vel qua ipsa tenetur), secundum quam amicus est aliis. iure igitur Meineke offendit in plurali numero *τῶν πέλας*, cum praecedat *αὐτόν*. molestius etiam fero totius sententiae obscuritatem; nam si per *αὐτόν* is indicatur, qui amatur, *καθ' ἣν φίλος ἐστί* non ad *αὐτόν* pertinet. quare pro *αὐτόν* scribendum suspicor *ἀστεῖον* sive *τὸν ἀστεῖον*, qua voce saepe *σπουδαῖον* dicunt. iam omnia perspicua sunt; nam etiamsi Stobaeus tertii generis naturam non accuratius explicat, idem dicit quod Diogenes VII. 124: *λέγουσι δὲ καὶ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι.* — Aut ipse Stobaeus aut certe is, cuius ex libro sua ille desumpsit, ex ampliore aliquo libro Stoicorum praecepta adeo non subtiliter excerpsit, ut sententiarum conexus interdum turbatus sit. velut hoc ipso loco pergitur: *εἶναι δὲ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον κοινὰ τὰ ἀγαθά,* quamquam bona esse communia antea nondum dictum est. veri simile est igitur in illo libro tertium genus amicitiae fusius descriptum fuisse, ita ut ratio haberetur praecepti illius a Stoicis saepissime usurpati: *τὰ τῶν φίλων κοινά.* cfr. Cic. de off. I. 16, 51. Stob. p. 62, 6 *ἐν μόνοις τε τοῖς σοφοῖς ἀπολείπουσι φιλίαν, ἐπεὶ ἐν μόνοις τούτοις ὁμόνοια γίγνεται περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον· τὴν δ' ὁμόνοιαν εἶναι κοινῶν ἀγαθῶν ἐπιστήμην.*

53, 8. *πάντα δὲ τὰ κατορθώματα δικαιοπραγήματα εἶναι καὶ εὐνοήματα καὶ εὐτακτήματα.* scribendum esse *εὐνομήματα*, quod etiam Dindorfium coniecisse ex lexicis cognovi, ostendit l. 16 *τὰ δὲ ἁμαρτήματα ἐκ τῶν ἀντικειμένων ἀδικοπραγήματα καὶ ἀνομήματα καὶ ἀτακτήματα.*

53, 20. *αἱρετὰ μὲν γὰρ εἶναι καὶ βουλητὰ καὶ ὀρεκτὰ* [*καὶ ἀποδεκτὰ τὰ ἀγαθά, αἱρετέα δὲ καὶ βουλητέα καὶ ὀρεκτέα*] *καὶ ἀποδεκτέα, κατηγορήματα ὄντα, παρακείμενα δ' ἀγαθοῖς.* verba uncis inclusa postquam Heerenius primus inseruit, ab eo receperunt Gaisfordus et Meineke. Stoici cum a bono ipso sive virtute possessionem boni, quaeque inde manant, actiones honestas sive statum et motum virtuti aptum distinguerent, bonum *αἱρετόν* vocarunt, alterum genus *αἱρετέον*, atque eandem distinctionem cum transferrent in singula boni genera, fortitudinem dixerunt esse *ὑπομενετόν*, habere fortitudinem *ὑπομενετέον.* cfr. Diog. VII. 126. idemque interesse iudicarunt inter *βουλητόν* et *βουλητέον*, *ὀρεκτόν* et *ὀρεκτέον.* qua in re illos nec grammaticas leges nec communem dicendi usum secutos esse constat, sed Chrysippus, a quo haec omnia profecta sunt, saepe tamquam novorum verborum artifex vituperatur, nec minus ille ex suo arbitrio inter *αἱρετόν* et *ληπτόν*, inter *δεῖσθαι* et *ἐνδεῖσθαι* (Plut. adv. St. c. 20) discrimen constituit. itaque *αἱρετά* rerum ipsarum sunt, *αἱρετέα* earum rerum, quae dicuntur de quodam aut quibusdam, quae *κατηγορήματα* appellant, velut habere sapientiam, uti iustitia. cfr. Cic. Tusc. disp. IV. 9, 21. iam illi quamquam bonum ipsum esse voluerunt *ὑφ' οὗ ἢ ἀφ' οὗ ὠφελούμεθα, πήγης χώραν ἔχον*, actiones autem honestas et possessionem virtutis dixerunt esse *καθ' ὃ ὠφελούμεθα* (p. 28, 20), tamen actiones et possessionem boni, cum bono ipsi opponerent, proprie vocarunt *ὠφελήματα.* Stob. p. 40, 28 *αἱρετὸν μὲν εἶναι ἀγαθὸν τὸ πᾶν, αἱρετέον δὲ ὠφέλημα πᾶν, ὃ θεωρεῖται παρὰ τὸ ἔχειν τὸ ἀγαθόν.* Cic. de fin. III. 10, 33. Ego adsentior Diogeni, qui bonum definierit id, quod esset natura absolutum. id autem sequens illud etiam, quod prodesset, *ὠφέλημα* enim appellemus, motum aut statum e natura absoluto. prodesse enim dixerunt idem esse atque honeste se habere et agere. Stob. 51, 25 *εἶναι γὰρ τὸ ὠφελεῖν ἴσχειν κατ' ἀρετήν, καὶ τὸ ὠφελεῖσθαι κινεῖσθαι κατ' ἀρετήν.* id. 45, 27. cfr. Diog. VII. 104. qua de causa *ὠφελήματα* illa, quippe quae *κατηγορήματα* sint, vocantur *παρακείμενα τῷ ἀγαθῷ* sive *μετέχοντα τοῦ ἀγαθοῦ.* Stob. 56, 10 *τά τε παρακείμενα τοῖς ἀγαθοῖς, ἅπερ ἐστὶν ὧν χρή, ὠφελήματα ὄντα, μόνοις τοῖς σπουδαίοις συμβαίνειν.* cfr. Diog. VII. 94. — Iam si revertimur ad verba ab Heerenio inserta, deesse apparet subiectum, quo pertineat *αἱρετέα τε καὶ βουλητέα* cet.; nam *κατηγορήματα ὄντα, παρακείμενα δ' ἀγαθοῖς* attributi locum tenent, ut ipsum participium *ὄντα* ostendit. itaque inserendum iudico *καὶ ἀποδεκτὰ τὰ ἀγαθά, τὰ δ' ὠφελήματα αἱρετέα καὶ βουλητέα καὶ ὀρεκτέα.* — Sed unum praetermittere non licet: parum percepisse auctorem eum, quem Stobaeus secutus est. Stoicorum praecepta cum aliis locis tum hoc ipso apparet. nam postquam recte, quid intersit inter *αἱρετόν* et *αἱρετέον*, exposuit, sic pergit l. 29: *τὴν γὰρ φρόνησιν αἱρούμεθα ἔχειν καὶ τὴν σωφροσύνην, οὐ μὰ Δία τὸ φρονεῖν καὶ σωφρονεῖν, ἀσώματα ὄντα καὶ κατηγορήματα*, quod non minus pugnat cum Stoicorum doctrina quam cum iis, quae leguntur 40, 29: *δι' ὃ αἱρούμεθα μὲν τὸ αἱρετέον, οἷον τὸ φρονεῖν, ὃ θεωρεῖται παρὰ τὸ ἔχειν φρόνησιν, τὸ δὲ αἱρετὸν οὐχ αἱρούμεθα, ἀλλ' εἰ ἄρα τὸ ἔχειν αὐτὸ αἱρούμεθα.*

57, 9. *ἀστείων δ' εἶναι καὶ τὴν ἀρχὴν κατανέμουσαν ἐπιστασίαν καὶ τὰ ταύτης εἴδη, βασιλείαν στρατηγίαν ναυαρχίαν καὶ τὰς ταύταις παραπλησίους.* cum in libris sit *ἀστείως*, Heerenius scripsit *ἀστείοις δ' ἔτι καὶ τὴν ἀρχὴν κατανέμουσιν ἢ ἐπιστασίαν;* quod quia Meineke a librorum scriptura nimis recedere iure vituperat, locum sic restituit, ut proposuimus, quamquam verba *κατανέμουσαν ἐπιστασίαν* ipsi eam offensionem habere videntur, ut dubitet an pluralis *ἐπιστασίας*

praestet. mihi hoc *κατανέμουσαν ἐπιστασίας* non satis ad rem pertinere videtur, qua de causa scribendum iudico *κατάνομον* (sive *κατὰ νόμον*) *οὖσαν ἐπιστασίαν*, nam iusta dominatio sola sapientis est, qui abhorret ab tyrranide. cfr. Diog. VII. 122 *οὐ μόνον δ' ἐλευθέρους εἶναι τοὺς σοφοὺς ἀλλὰ καὶ βασιλέας, τῆς βασιλείας οὔσης ἀρχῆς ἀνυπευθύνου. — ἐγνωκέναι γάρ φησι δεῖν τὸν ἄρχοντα περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, μηδένα δὲ τῶν φαύλων ἐπίστασθαι ταῦτα.* Stob. p. 58, 21 *τὸν αὐτὸν (τὸν φαῦλον) καὶ ἀνήμερον ὑπάρχειν καὶ τυραννικόν, οὕτως διακείμενον ὥστε δεσποτικὰ ποιεῖν, ἔτι δὲ ὦμα καὶ βίαια καὶ παράνομα.*

58, 7. Civitatem iis rebus esse adnumerandam, quas honestas sive bonas Stoici dicunt, Cleanthes hac argumentatione efficere studet: *πόλις μέν ἐστιν οἰκητήριον κατασκεύασμα, εἰς ὃ καταφεύγοντας ἔστι δίκην δοῦναι καὶ λαβεῖν· οὐκ ἀστεῖον δὴ πόλις ἐστίν; ἀλλὰ μὴν τοιοῦτόν ἐστιν ἡ πόλις οἰκητήριον· ἀστεῖον ἄρ' ἐστὶν ἡ πόλις.* hanc quidem codicum scripturam restituit Meineke. at Cleanthes nonne stolide ageret, si idem enuntiatum bis poneret atque bis diceret inde effici, ut civitas honesta esset? itaque praestat Heerenii coniectura, qui scripsit *πόλις μὲν εἴ ἐστιν οἰκητήριον* cet., nisi forte scribendum sit *πόλις μὲν οὐκ ἔστιν οἰκητήριον κατασκεύασμα — οὐκ ἀστεῖον δὴ πόλις ἐστίν*, ut Cleanthes id, quod propositum habet, honestam esse civitatem, ita concludat, ut primum ex ea definitione civitatis, quae contraria est veritati, contrarium sequi ostendat. hanc enim dialecticam argumentandi rationem Stoicos admodum dilexisse cum alii tum Alexander Aphrodisiensis de fato p. 110 et 118 ed. Orell. ostendunt, velut *οὐκ ἔστι μὲν τοιαύτη ἡ εἱμαρμένη, οὐκ ἔστι δὲ πεπρωμένη, οὐδέ ἐστι πεπρωμένη, οὐκ ἔστι δὲ αἶσα* cet. hoc vero certum mihi videtur, scribendum esse *οἰκητηρίων κατασκεύασμα.*

59, 11. *οὐδεὶς δὲ ἔχων τὴν κακίαν πρὸς ἀρετὴν τέτραπται, ὡς οὐδὲ νόσον πρὸς ὑγίειαν· μόνον δὲ προτετράφθαι τὸν σοφόν.* scribendum esse *ὡς οὐδὲ νοσῶν* proxima verba satis opinor ostendunt.

60, 22. *διαφωνοῦσι δ' οἱ φαῦλοι πρὸς τοὺς θεοὺς περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον, διόπερ πᾶς ἄφρων θεοῖς ἐχθρός ἐστιν, ἐπεὶ εἰ πάντες τοὺς ἐναντίους αὐτοῖς ἐχθροὺς εἶναι νομίζουσι, τῷ δὲ σπουδαίῳ ὁ φαῦλός ἐστιν ἐναντίος καὶ σπουδαῖός ἐστιν ὁ θεός, ὁ φαῦλος θεοῖς ἐστιν ἐχθρός.* in codicibus est *ἐπεὶ πάντες*. ab Heerenio *εἰ* adiectum est. duobus argumentis Stobaeus utitur, ut homines improbos deis esse inimicos ostendat, primum quod tota vita a diis discrepant, quod quidem cum praecedentibus verbis iam exposuerit, his *διαφωνοῦσι δὲ — διόπερ — ἐχθρός ἐστιν* concludit, deinde quod, qui cuique contrarius sit, eum sibi inimicum esse iudicat, improbi autem diis contrarii sunt. quocirca fieri non potest, ut altera argumentatio alteri conclusioni per *ἐπεὶ* subnectatur. scribendum est potius *ἔτι εἰ πάντες* cet.; nam plurimae argumentationes in hac Stobaei dissertatiuncula per *ἔτι* inter se coniunguntur, neque raro hoc *ἔτι* librariorum neglegentia in *ἐπεὶ* corruptum est. cfr. p. 35, 23 *ἔτι δὲ λέγουσι πάντα φαῦλον μαίνεσθαι.* 37, 26 *ἔτι δὲ τῶν ἀγαθῶν* cet., utroque loco in codicibus est *ἐπεί.*

61, 18. *οἱ μὲν γὰρ οἴονται οὐ μόνον εὐφυεῖς γίγνεσθαι πρὸς ἀρετὴν ἐκ φύσεως ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐκ κατασκευῆς — ὥςτε εὐφυίαν μὲν εἶναι κοινῶς ἕξιν ἐκ φύσεως ἢ ἐκ κατασκευῆς οἰκείαν πρὸς ἀρετήν.* si proxima verba respicio, *τούς* redundare videtur. an per *οἱ ἐκ κατασκευῆς* certum quoddam genus hominum denotatur? quod fieri vix potest. itaque nisi *τούς* prorsus delendum est, scribendum puto *τινάς*.

